

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**


**VD17 VD17 3:315948Z**

CCLII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

autem Typographis mittunt 1. Coronatum; & cupiunt sibi adhuc vel 20. vel 30. Exemplaria Programmatis mitti, ut & in patriam revertentes, quædam inter bonos distribuere queant; quod ut fiat, haud gravatim curabis. Vale. Datæ Prædie Nonarum Januarii, 1579.

I.  
Cyr. Spangeberg.



CCLII.

(Philippo Marbachio.)

*S. D. Reverende & Carissime Domine compater.*

**B**iennium totum effluxit, nec ulla à te litteras accipio. Gaudeo igitur omnia tibi ex animi sententia succedere, & fortunæ tuæ eam prosperitatem esse, ut veterum amicorum oblivisci possis. Quod si, ut non omnino diffido, scintilla aliqua pristinæ erga me benevolentia tuæ reliqua micat, quæso ut tandem de universo statu Scholæ Ecclesiæ & Provinciæ vestræ, & rebus tuis domesticis, ea, quæ amico, cujus fides tibi perspecta est, scire licet, me edoceas. Intellego autem Reverendiss. senem, patrem tuum, optare, ut in Academia Palatina DEO servias. Ea in re quid honestè & sine insigni Scholæ Stiriacæ damno fieri possit, haud dubie considerabis. Quod si vel ipse venies, vel aliquando ad patrem scribes, quæso ut Leges Scholæ vestræ descriptas, literis ad me tuis adjungas. Non totum illud scriptum de Schola, sed tantum Statuta de disciplina moribus & exercitiis, numeris, ut opinor, propositionum instar, distincta, recipere cupio. Mea tibi studia & officia vicissim defero. Bene vale. Die Concordiæ & Constantiæ, Anno 1579.

David Chytræus.



CCLIII.

**N**ihil erat nunc quidem, quod scriberem magnoperè, cum haud pridem tibi binas ad te dederim. Sed quia præsentium lator meam expeteret ad te commendationem, D. Nicolaus Taurellus, non potui viro amico negare officium, maxime cum id enixe etiam postularet D. D. Isaacus Kellerus & Samu-

Samu-